The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Sapiencia uel sciencia ar
cum uariis

Tocius prudencie compendium in litteris continetur. Si res publica regenda est, si prelia committenda sunt, si castra metanda, si machine erigende, si renouandi aggeres, si propugnacula facienda, si iusticie cultus, si reuerencia legum, si finitimarum gencium amicicie sunt seruande, libri hec omnia erudiunt ad perfectum. Princeps quidem sine litteris est nauis sine remige et uolucris sine pennis.

Petrus Rauennensis in quadam epistola.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V^1 V^2 L^1 L^2):

metanda] metienda M, mutanda P V^1 V^2 L^1 L^2; iusticie] militie P V^1 V^2 L^1 L^2; reuerencia] uerencia M; finitimarum] finttimarum C; remige] regmige (*cor. sub lin.*) C